AD SOLLEMNIA CAESAREAE VNIVERSITATIS DORPATENSIS

QVAE

QVO DIE HAEC ACADEMIA OLIM CONDITA EST

DIE XII MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXI

HORA XII IN AVLA MAGNA

ORATIONE

LEONIS MEYER

P. P. O.

ET

RENVNTIATIONE

VICTORVM IN ERVDITIONIS CERTAMINIBVS PRAEMIA ADEPTORVM

PVBLICE AGENTVR

RITE CONCELEBRANDA

DOCTORES OMNIVM ORDINVM AMPLISSIMOS ET COMMILITONES HVMANISSIMOS
ET QVICVMQVE REBVS NOSTRIS LITTERARVMQVE STVDIIS BENE VOLVNT

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAMVS

RECTOR ET SENATVS.

Schwabe

LVDOVICI SCHWABII IN CIRIN CARMEN OBSERVATIONVM PARS I ADIECTA EST.



DORPATI LIVONORVM

C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPSIT.

Quotiens per hoc semestre carmini quod Ciris inscribitur interpretando, Commilitones Humanissimi, uiribus conlatis operam dabamus, totiens fieri non potuit quin in uersus incideremus quos integros aut quorum partem aliquam scriptor illius poematis non uno nomine ualde memorabilis ex poetarum aliorum carminibus in suum opusculum transtulit aut quos ad exemplar saltem certorum uersuum conformauit.

Atque Cirin qui scripsit quam plurima a Catullo Vergilioque sumpsisse quamquam neminem doctum umquam fugere potuerit, tamen quae ille sumpserit adhuc accurate nondum esse demonstrata saepius coram Vobis dixi: hoc autem sciri, ut de poetae arte siue uerius dixeris inertia recte et plene iudicetur, non parui esse momenti.

Iam cum per scholarum rationes mihi non liceat has quaestiones una Vobiscum in seminario nostro absoluere, operae pretium me facturum duxi, si hac publica scribendi occasione oblata quasi supplementum quoddam exercitationum huius semestris philologarum exhibiturus de Ciris poeta Catulli imitatore dissererem, ea tamen uenia simul mihi sumpta ut illi disputationi pauca de locis aliquot difficilioribus carminis emendandis insererem.

A Vergilio quae poeta Ciris mutuatus sit alio tempore exponere in animo est.

De imitatione catulliana in Ciri conspicua praeter interpretes superiorum temporum I. Schraderus [1]) C. G. Lenzius [2]) I. Silligius [3]) M. Hauptius [4]) non pauca adnotauerunt: qui quos locos indicauerant eos fere Ribbeckius in margine maioris suae editionis nuper adscripsit. Sed his locis solis imitationem catullianam poetae Ciris non contineri sed multo latius patere nostra disputatio clarissime demonstrabit.

---

1) Cf. liber emendationum. Leouardiae 1776 p. 33. 63. 64.

2) cf. C. Valerii Catulli carmen de nuptiis Pelei et Thetidos. Illustrauit C. G. Lenz. Altenburgi 1787. p. 82. 83.

3) cf. editionis Vergilii heyniani quartae quam Phil. Wagner curauit uol. IIII p. 155 sq.

4) cf. quaest. catull. Lips. 1837. p. 45. 75. obseruat crit. Lips. 1841. p. 6. 14. monatsber. d. Berl. akad. d. wissensch. 1858 p. 659.

Manifestum est eum facile in errorem induci qui quae similiter dicta apud duos scriptores inuenerit continuo sumit ea alterum ab altero mutuatum esse. nam tales similitudines ex aetatis congruentia uel ex indolis et studiorum consensione uel ex rei tractatae cognatione consentaneum est oriri. sed aliter res se habet, si certa indicia conuincunt alterum scriptorem esse alterius imitatorem. quod ubi deprehendimus ibi quaerendum est qua tenus alter alterum expilauerit: in qua disquisitione etiam similitudines per se ipsas non ita graues omni diligentia ponderandae sunt. hoc autem in nullo carmine magis teneri oportet quam in Ciri, illo, ut Lucianus Muellerus [5]) nuper bene iudicauit, centone ex catullianis et uergilianis frustulis conflato.

Imitationem Catulli et Vergilii respicientes facile animaduertimus non eandem rationem a Ciris auctore obseruatam esse. et enim uergiliana imitatio magis aperta est quam catulliana. hoc probatur uel eo quod poeta, qui ex Catullo ne unum quidem uersum aut integrum aut paene integrum in suum epyllium inseruit, ex Vergilio tamen et undecim uersus integros et octo uersus qui a uergilianis nisi unius uocabuli mutatione non discrepant mutuatus est. cf. Cir. 51* = Verg. ecl. 6,81; Cir. 59. 60. 61* = ecl. 6,75. 76. 77; Cir. 125* = ecl. 4,47; Cir. 267* = ecl. 8,60; Cir. 302* = ecl. 8,59; Cir. 373** = ecl. 8,75; Cir. 395* = ge. 4,389; Cir. 398* = ecl. 4,49; Cir. 403 = Aen. 2,406; Cir. 405. 406 = ecl. 8,19. 20; Cir. 430 = ecl. 8,41; Cir. 474 = Aen. 3,74; Cir. 538—541 = georg. 1,406—409. In his miramur uel duos (405. 6. cf. 394. 5 et 402. 3) uel tres (59. 60. 61) uel quattuor (538—541) uersus continuos ex Vergilio desumptos esse. in primis uersus quos extremo loco nominaui memorabiles sunt quia eis clausula carminis efficitur. sed non crediderim mera mentis inertia a poeta illos quattuor uersus iteratos esse ex Vergilio, sed potius illum locum uergilianum de Niso et Scylla poetam sibi olim fortasse Messalla suadente quasi thema accuratius tractandum sumpsisse, atque, cum promisso satis fecerit, consilio (siue laudabili siue uituperabili, sed consilio tamen) loco uergiliano, qui caussa sui carminis fuerit, opusculum finiuisse. — Nec deest similis excusatio in loco ubi tres continui uersus uergiliani in Ciri adparent. nam ibi Vergilius quasi testis citatur. in uersibus enim 54 sqq. poeta Ciris Scyllam Nisi filiam, quae quo modo in auem mutata sit ipse expositurus est, a poetis quibusdam magnis pro eadem Scylla dicit praue habitam esse quae nota deformitate insignis una cum Charybdi fretum siculum infestet. iam poeta Ciris cum descriptionem huius Scyllae monstrosae ex Vergilio tribus uersibus sumeret, Vergilium eum notauit poetam qui et ipse illum errorem commiserit. et enim re uera Vergilius, qui postea in georgicon quem dixi loco Scyllam in auem conuersam recte narrauit, antea illo eclogae sextae loco Scyllam Nisi filiam in auem mutatam et Scyllam monstrosam freti siculi custodem inter se confuderat:

---

5) praef. Catulli p. XLIII.

quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secutast
candida succinctam latrantibus inguina monstris cet.

nomine igitur poetarum magnorum praeter ceteros Vergilius significatur a poeta, beneque explicatur hac ratione illa parenthesis *nam uerum fateamur: amat Polyhymnia uerum:* ibi enim superba quadam modestia usus poeta ueri amorem excusat quo motus ipse aliter atque poeta longe maior fabulam exponat.

Sed imitatio catulliana, licet multo obscurior sit quam uergiliana, tantum abest ut rarius obueniat: ut omnis ars in Ciri obuia multo magis arti Catulli quam Vergilii adsimilata sit. et enim uel conpositio totius Ciris carminis maxime accommodata est ad exemplar carminis quod Catullus de nuptiis Thetidis et Pelei scripsit: qua re in grauissimis rebus utrumque poema mira ratione inter se congruit.

In uniuersum Ciris auctor ex antiquioribus illis poetis circa finem saeculi ab V. c. septimi florentibus magis pendere uidetur quam ex poetis Augusto imperante florentibus. neque hoc mirum est. poeta, quem ualde probabilis coniectura Teuffelii [6]) est intra annos 735|19—740|14 M. Valerio Messallae, Messallae Coruini oratoris filio natu maiori, consuli anni 751|3 Cirin dedicasse, annis demum prouectus (cf. u. 1. 2) ad studia poetica rediit, quae olim in iuuentute fouerat (cf. 45), sed postea uitae publicae deditus diu intermiserat (cf. u. 1. 2). In illius autem poetae iuuentute, ut pote quam ad priora saeculi Vrbis octaui lustra referentes uix errabimus, Catulli carmina maxima auctoritate florebant: qua de re conferantur quae Cornelius Nepos in uita Attici (12, 4) circa annum 720|34 (tum Vergilius eclogas iam quinque fere annis ante ediderat) scripsit: *L. Iulium Calidium quem post Lucretii* (a. 699|55) *Catullique* (a. 700|54) *mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem uere uideor posse contendere.* itaque in iuuentute Catullo legendo et imitando — etiam lectionis lucretianae rara quidem sed manifesta tamen uestigia in Ciri inueniuntur — poeta eadem plane ratione operam dedit qua cum Vergilius ipse, qui Ciris poetae aetate aliquantum antecessit, in iuuenilibus potissimum carminibus tum alii poetae scriptori Ciris fere aequales, ut ex catalectis uergilianis et ex priapeis perspicimus, Catullum imitati sunt. quibus studiis iuuenilibus quam maxime innixus, cum ad poesim Messalla suasore rediret, poeta fere quinquagenarius Cirin conposuit, ita tamen ut Vergilii quoque interea prae Catullo maximam gloriam adepti (cuius locus quidam, ut dixi, poetae ansam fabulae de Niso et Scylla tractandae dedisse uidetur) carmina a se studiose lectitata imitatione exprimeret.

Hinc explicandum est quod, si opus poeticum cum textrino conparare licet, quae Catullo eiusque aequalibus Ciris poeta debet ea quasi stamen efficiunt, cui

6) cf. Pauly's realencycl. der altertumswissenschaft VI 2 2657, gesch. der röm. litter. p. 405, Ribbeckii proll. append. uergil. p. 16 sqq., Luc. Muelleri praef. ad. Cat. p. XLI.

subtemen maxime uergilianum insertum est. — Neque enim dubito quin, si nobis superessent epyllia illa catulliano epyllio fere aequalia, ut Valerii Catonis Dictynna C. Heluii Cinnae Zmyrna C. Licinii Calui Io Cornificii Glaucus Caecilii Cybele [7]), etiam horum uestigia quaedam in Ciri adgnoscerentur. ueluti non sine ueri specie quispiam coniecerit ad illud de Britomarti episodium (u. 286—309) carmini suo inserendum poetam inpulisse illam Catonis Dictynnam: neque inprobabile duco, quod Naekius [8]) coniecit quidem sed statim reiecit, uersu Ciris 304. 5 *alii quo notior esses Dictynnam dixere tuo de nomine lunam* Catonis Dictynnam significari. conferatis quam similiter poetas de Scyllae origine narrantes poeta commemorauerit uu. 54. 64 *namque alias alii uolgo finxere puellas.*

Iam ea quae ad Catulli exemplar formauit poeta Ciris ita adnotabimus ut primum ad singulos Ciris uersus catulliana exempla adscribamus, deinde autem in fine commentationis nostrae ea quae generatim atque uniuerse de imitatione catulliana dici possunt conplectamur.

Etsi me uario iactatum laudis amore
irritaque expertum fallacis praemia uolgi
cecropius suauis expirans hortulus auras
florentis uiridi sophiae conplectitur umbra,
nec mea quit ratio dignum sibi quaerere carmen,
longe aliud studium atque alios quae accincta labores
altius ad magni suspexit sidera mundi
et placitum paucis ausa est ascendere collem:
non tamen absistam coeptum detexere munus,
in quo iure meas utinam requiescere musas
et leuiter blandum liceat deponere morem.

Hoc Ciris exordium plane ad carminis LXV catulliani exemplar conformatum est, quod ab hisce uersibus incipit: *Etsi me adsiduo confectum cura dolore Seuocat a doctis, Ortale, uirginibus, Nec potis est dulcis musarum expromere fetus Mens animi (tantis fluctuat ipsa malis:* [5] *Namque mei nuper lethaeo gurgite fratris Pallidulum manans adluit unda pedem, Troia rhoeteo quem subter littore tellus Ereptum nostris obterit ex oculis),* [15] *Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto Haec expressa tibi carmina Battiadae.*

Sicuti Catullus dicit se, quamquam magnis curis oppressum ideoque carminibus pangendis non idoneum, tamen carmina callimachia in latinum conuersa ut promisso

7) cf. meas quaest. cat. I, 312 Teuffelii gesch. der röm. litt. p. 331 sqq. L. Muelleri praef. Catulli p. XLII.

8) ad Valerium Catonem p. 273.

cuidam satis faciat Hortensio missurum esse: ita plane poeta Ciris: 'Quamquam', inquit, 'ex publicae uitae laboribus curisque requieturus philosophiae me omnino dedidi, nihilo tamen minus narrationem de Scylla olim coeptam perficere in animo est. — Neque solum sententiam uniuersam et orationis conformationem sed etiam uerborum aliquam partem scriptor Ciris ex Catullo sumpsit: cf. u. 1 *Etsi me iactatum* = Cat. 65, 1 *Etsi me confectum;* 9 *non tamen* = Cat. 65, 15 *sed tamen.* sed alia quoque ex hoc loco translata sunt in Cirin. nam uersus 5 in libris sic grauiter corruptus *Tum mea (ea) queret eo dignum sibi querere carmen,* quem Hauptius partim Scaligerum secutus egregie ita scripsit *nec mea quit ratio dignum sibi quaerere carmen,* manifesto ex uersu 4 catulliano expressus est: *Nec potis est dulcis musarum expromere fetus Mens animi.* hinc Scaligeri et Hauptii optime confirmatur emendatio, cui miror Ribbeckium suam ipsius hanc praetulisse *Iamque mea ratione indignumst quaerere carmen.* quam cum defenderet [9]), uirum doctissimum fugit *dignum carmen* non dixisse poetam carmen dignum nouo suo philosophiae studio, sed carmen sat bonum et se poeta et Messalla fautore dignum absolute significasse.

Etiam alius uersus inter eos quos supra excripsi extat cuius ad ueram scripturam inueniendam conparatio loci catulliani utilissima est. et enim uersus 6 in bonis libris — dico helmstadiensem et rehdigeranum — ita scriptus legitur:

longe aliud studium atque alios accincta labores,

qui ut cum praecedente coniungeretur, addidit post u. *alios* G. Puetzius [10]) uoculam *quae* ad u. *ratio* (u. 5) referendam. hoc Hauptius et Ribbeckius adprobauerunt. Sed uel ipse Puetzius rectissime sensit quam moleste illud *quae* sextum demum in enuntiato locum obtineat simulque elisione paene omnino obscuretur. nullum enim exemplum ex Ciri adferri potest quo illa artificiosa pronominis relatiui positio satis defendatur. non quidem aspernatus est poeta Ciris pronominis relatiui inuersionem: sed moderate hanc licentiam sibi sumpsit. inter septuaginta fere exempla pronominis relatiui in Ciri hoc pronomen quinquiens secundo enuntiati loco (58. 268. 328. 521. 534), ter tertio (15? 246. 394), ter quarto (127. 238. 361), semel quinto (412) reperitur. sexto loco, si nostrum locum omittimus, non reperitur. in uersu autem 412, ubi quinto enuntiati loco relatiuum pronomen conlocatur, pronomine demonstratiuo *ille* praemisso insolentia orationis quam maxime mitigatur:

illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
certatim ex omni petiit quam Graecia regno.

---

9) cf. mus. rhen. XVIII (1863), 112.
10) adnotat. in Verg. Cirin. Coloniae ad Rhenum 1846. p. 6.

atque plane eadem additione pronominis demonstratiui praeter hunc locum in illis quos citaui uersibus quater inuersio pronominis relatiui insolita (cf. 58. 268. 394. 238) facilior redditur. similis cautionis nihil nostro loco conspicitur, immo accedit ad scripturam Puetzii omnino refellendam elisio hac in conlocatione pronominis molestissima. in illis duodecim exemplis pronominis iuuersi quae attuli bis pronomen elisione attenuatur: alterum exemplum (521) *omnia qui imperio* facilitate per se maxima commendatum nemo cum nostro conferet, alterum libris antiquis non traditum sed coniectura effectum (15) *Quattuor antiquis quae* (om libri) *heredibus est data consors* si recte scribitur, multo lenius est quam illa uersus sexti scriptura a nobis in dubitationem uocata neque ad hanc tuendam sufficit.

Num uero opus est illo pronomine? equidem negauerim: uersum sextum integrum nobis traditum esse arbitror. uersus enim 6—9, id quod iam Scaliger uidit, parenthesis circulis ex orationis contextu excludendi sunt, plane eodem modo quo in loco catulliano, qui hoc initio carminis poetae obuersatus est, uersus 4 et sequentes parenthesin efficiunt:

5 *nec mea quit ratio dignum sibi quaerere carmen*
(longe aliud studium atque alios accincta labores
altius ad magni suspexit sidera mundi
et placitum paucis ausa est ascendere collem):
non tamen absistam coeptum detexere munus.

Hac in re ut Catullum ad Ciris locum emendandum respeximus, item Ciris locus in uicem bene adhiberi potest ut iudicium nostrum de initio carminis catulliani LXV confirmetur. et enim sicuti in Ciri uidemus primum quinque uersuum protasin illi *Etsi* adnexam, deinde sequi trium uersuum parenthesin, denique a uersu nono apodosin incipere, ita fere omnia in Catullo se habent, dum modo uersus 9—14 ex carmine LXV eiecerimus, quod Rossbachius Haasius ego alii plane aliis caussis moti iam dudum postulauimus.

3 *cecropius suauis expirans hortulus auras*
florentis uiridi sophiae conplectitur umbra.

Locus totus ex Catulli et Vergilii uersibus conflatus est: cf. Catulli 64, 87 *suauis expirans castus odores Lectulus in molli conplexu matris alebat* et Vergilii Aen. 1, 693 *amaracus illum Floribus et dulci adspirans conplectitur umbra,* ecl. 9, 20 *uiridi umbra.* praeterea obseruandum est deminutiuum *hortulus* ad similitudinem catulliani *lectulus* formatum esse a poeta Ciris: quem etiam deminutiuorum usus sat frequens exemplar Catulli antiquiorumque poetarum [11]) secutum esse probat. idem illud *lectulus*, quod Catullus

---

11) cf. L. Muelleri de re metr. p. 36. deminutiua catulliana F. Heussner obseru. gramm.

de lecto uirginali Ariadnae dixit, poeta Ciris 440 de lecto geniali Scyllae sternendo usurpauit; praeterea *frigidulus (frigidulam-puellam* 251, *frigidulos ocellos* 348*)* a Catullo sumpsit (cf. 64, 131 *Frigidulos udo singultus ore cientem.* cf. etiam 3, 18 *turgiduli ocelli*) [12]) et ad eiusdem similitudinem finxit u. *tabidulus (Tabidulamque uidet labi per uiscera mortem* 182*)*. praeterea inueniuntur in Ciri (ut usitatissima illa ueluti *puella labellum* alia omittam) deminutiua *ocellus* 132. 238. 348 (quod septiens apud Catullum legitur) *nutricula* 257. 277 *paruulus* 138.

7 *altius ad magni † suspendit sidera mundi.*

Non intellego cur Ribbeckius certissimam emendationem Schraderi *suspexit* a Silligio Hauptio Ladewigio recte receptam post habuerit prae scaligerana *subtendit.* iam Schraderus bene in usum uocauit Ciris u. 218 *alte Suspicit ad celsi nictantia sidera mundi,* et locis lucretianis et uergilianis, quibus multi addi possunt, emendationem suam muniuit. sed omnibus similior est locus catullianus, quem potissimum puto scriptorem ante oculos habuisse: 66, 1 *Omnia qui magni dispexit lumina mundi.*

10 *in quo iure meas utinam requiescere musas*
et leuiter blandum liceat deponere morem.

cf. Catulli 76, 13 *deponere amorem.*

22 *qualis erechtheis olim portatur Athenis,*
debita cum castae soluuntur uota Mineruae.

Iam Sillligius recte adnotauit hoc loco poetam similiter ad peplum Mineruae describendum declinare ut Catullus in carmine LXIIII ad uestem illam stragulam Ariadnae fatis insignem enarrandam a uia digrediatur. *erechtheas Athenas* poeta Ciris dixit secutus Catullum, qui 64, 211 Piraeea *erechtheum portum* et in proximo uersu Mineruam *castam diuam* nominauit: ita enim apud Catullum pro librorum *classi* Itali recte scripserunt, quae scriptura loco Ciris quodam modo defendi uidetur.

25 *cum leuis alterno zephyrus concrebruit euro*
et prono grauidum prouexit pondere currum.

De naui panathenaica poeta loquitur: cf. Catulli carm. 64, 9 de Argo naue

---

in Catull. Marb. 1869. p. 35 collegit. quanto opere huic uocabulorum generi reliqui illi Catullo aequales fere poetae indulserint eorum fragmenta quamuis rara satis demonstrant (cf. L. Muelleri Catulli p. 74 sqq.).

12) cf. Hauptii obs. crit. p. 14.

Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum, 62, 51 *Sed tenerum prono deflectens pondere corpus.*

ergo palladiae texuntur in ordine pugnae,
30 *magna giganteis ornantur pepla tropaeis,*
horrida sanguineo pinguntur proelia cocco,
additur aurata deiectus cuspide Typhon.

Libri boni praebent h. l. *corco* uel *socco.* unde iam Itali recte fecisse uidentur *cocco,* etsi *fuco,* quod Heinsius proposuit, neque ab litterarum ductibus nimium abest et Catulli 64, 49 *Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco* aliqua tenus commendatum uideri possit. etiam conformatio orationis (quattuor uersibus inter se parum cohaerentibus peplum Mineruae non sane uenuste describitur) in mentem reuocat quosdam locos catullianos simili asperitate memorabiles, ueluti 64, 19 sqq. 32 sqq. 63 sqq. 257 sqq. 399 sqq.

33 *prius* ut idem sit quod 'olim' 'pridem' Catullus quoque usurpauit 4, 25 *Sed haec prius fuere, nunc recondita Senet quiete*, 51, 15 *Otium et reges prius et beatas perdidit urbes.*

36 *tali te uellem, iuuenum doctissime, ritu*
39 *naturae rerum magnis intexere chartis.*

ut uersu 36 poeta Ciris ex digressione in uiam redit, ita Catullus 64, 265 *Talibus amplifice uestis decorata figuris.*

40 *aeternum sophiae coniunctum carmine nomen*
nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis.

cf. Cat. 68, 43 *Nec fugiens saeclis obliuiscentibus aetas Illius hoc caeca nocte tegat studium: Sed dicam uobis, uos porro dicite multis Milibus et facite haec charta loquatur anus* et 78, 10 *et qui sis fama loquetur anus.*

44 *haec tamen interea, quae possumus . . . . .*
46 *accipe dona mea multum uigilata labore.*

cf. Catulli 101, 7 *Nunc tamen interea haec . . . . Accipe fraterno multum manantia fletu.* et 68, 149 *Hoc tibi quod potui confectum carmine munus.* de loci catulliani scriptura Ciris loco stabilita dixi qu. cat. I, 276. locutionem illam *multum uigilata* C. Heluius Cinna, poeta ille cum Catullo et amicitiae et poeticorum studiorum uinculo coniunctissimus, scriptori Ciris praeiuit [13]), cum amico cuidam Arati phaenomena ex Bithynia secum adlata dono mitteret (cf. Isidori orig. 6, 12): *Haec tibi arateis multum*

13) cf. L. Muelleri praef. ad Cat. p. XLIII.

uigilata lucernis Carmina, quis ignes nouimus aetherios, Leuis in aridulo maluae descripta libello Prusiaca uexi munera nauicula (cf. etiam Statii silu. 4, 6, 25 Thebaid. 12, 811) fortasse ab eodem Cinna Ciris poeta desumpsit genetiuum *tabis* (u. 254): Cinnam enim nullo ante se usum auctore in Zmyrna genetiuum *tabis* dixisse Charisius p. 73. 118 P. docet. cf. Weichertum rell. poett. p. 190 Lachmannum ad Lucr. p. 174 Neuium gramm. lat. 1, 510.

55 *(nam uerum fateamur: amat Polyhymnia uerum).*

cf. Catulli 62, 16 *Iure igitur uincemur: amat uictoria curam.* praeterea conferendi sunt uersus uergiliani catal. 7, 12 *(nam fatebimur uerum, Dulces fuistis)* et ecl. 3, 59 *Alternis dicetis: amant alterna camenae.*

73 *coniugium carae uiolauerat Amphitrites.*

cf. 486 *Non statuit (nimium est auidum pecus Amphitrites).* etiam in admittendis uersibus spondiacis auctor Ciris Catulli potissimum discipulus adgnoscitur [14]).

Is enim quamquam Catullum, quo nemo poeta in illo artificio adhibendo largiorem se praebuit, numero non aequauit, tamen ceteros poetas spondiacorum frequentia longe superauit. ueluti singulos spondiacos Vergilius inter uersus quadringenos ternos denos Ouidius inter ducenos octogenos quinos admisit, sed in epyllio Catulli quartus decimus quisque uersus spondeum in quinto pede habet, in Ciri autem tricesimus sextus quisque, quoniam inter quingentos quadraginta unum uersus quindecim numeramus spondiacos: 73. 82. 96. 113. 158. 239. 326. 398. 413. 434. 474. 486. 495. 519. 535.

In his poeta Ciris sumpsit ter clausulam spondiacam a Catullo: 73 et 486 *Amphitrites* (cf. Cat. 64, 11 *Amphitriten*); 413 *Hellespontus* (cf. Cat. 64, 358 *Hellesponto*). contra a Vergilio sexiens clausulam spondiacam mutuatus est: 96 *narcissus* (cf. Verg. ecl. 5,38 *narcisso*), 434 (nam Ribbeckius aldinam editionem recte secutus est) *electro* (cf. Verg. Aen. 8, 402 *electro*), 535 *Oriona* (cf. Verg. Aen. 3, 517 *Oriona*), 519 *desertis* (cf. Verg. Aen. 12, 863 *desertis* — re uera poetam hanc clausulam ex Vergilio hausisse negari non potest: in Ciri Scylla in auem mutata describitur quo modo aeuum exigat in *rupibus et scopulis et litoribus desertis:* Vergilius narrat Diram alteram se in formam auiculae mutasse *Quae quondam in bustis aut culminibus desertis Nocte sedens serum canit inportuna per umbras*): in duobus quae restant exemplis non clausula sola sed

14) cf. de tota hac quaestione commentationem bonae frugis plenissimam Antonii Viertelii in Iahnii annal. philol. LXXXV (1862), 801 sqq.

toti uersus Vergilii sunt: 398 *Cara Iouis suboles, magnum Iouis incrementum* (= cf. ecl. 4, 49), 474 *Nereidum matri et Neptuno aegaeo* (= Aen. 3, 74).

Longe plurimi in Ciri spondiaci uersus et uocabulis tetrasyllabis et uocabulis ex graeco petitis terminantur: in his quoque rebus Ciris scriptor rationes Catulli et Vergilii secutus est: quid? quod illis poetis interdum paullo etiam seuerior fuit: nam in catullianis spondiacis fere quarta, in uergilianis dimidia fere pars, sed in Ciri duae partes tertiae uocabulis graecae originis exeunt. deinde in admittenda clausula trisyllaba inusitatiore auctor Ciris artissime ad Vergilii usum se adplicauit. nam ex quinque exemplis quattuor *(electro narcissus desertis aegaeo)* a Vergilio sumpsit: restat unum 82 *ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus,* quod haud male poeta ad uim sententiae augendam adhibuit (cf. uersus ouidianus met. 1, 734 *Et gemitu et lacrimis et luctisono mugitu).*

Cum igitur auctorem Ciris perspicuum sit ualde curiosum fuisse in trisyllaba clausula admittenda, num probabilis nobis uidebitur haec coniectura, quam Ribbeckius in mus. rhen. XVIII (1863) 116 proposuit,

149 *cum lapsa e manibus fugit pila: cumque elapsa est,*

quamque in utraque sua editione inter uerba poetae auctor recipere non dubitauit? at illud *elapsa est* neque exemplo aut uergiliano catullianoue aut alius poetae neque sententiae pondere commendatur, immo uel ob metrum claudicans et orationem misere incisam reiciendum est. clausulae trisyllabae spondiacae choriambicum uocabulum praemitti solet: itaque etiam Ciris poeta bis fecit *litoribus desertis, suaue rubens narcissus* (nam *suaue rubens* ut *suaue olens* pro una paene uoce iure habetur, cf. *suauiloquens suauidicus suauisonus*). contra illud *Neptuno aegaeo* a Vergilio sumpsit, et illud *lacrimoso electro* catullianis *famulum legarat* et *agitur decursu* et Cinnae *legitur crystallus* satis defenditur. Ribbeckii autem *cumque elapsast* plane singulare esset, nam catullianum *splendent auro atque argento* toto caelo diuersum est. sed etiam si a metrica ratione discessimus, sententia quam Ribbeckii coniectura praebet ualde languida est: 'nondum sacrificium perfectum fuit, cum pila e manibus Scyllae elapsa est; cumque elapsa est, procurrit Scylla'. potius haec est sententia: 'sacrificio nondum perfecto Scylla pila ludere coepit. primum pila manu pulsa sursum lapsa est (poetae ante oculos fuit uergilianus locus Aen. 3, 243 *celerique fuga sub sidera lapsae Semesam praedam et uestigia foeda relinquunt*), deinde — Heinsius, id quod librorum scripturis commendatur, *cumque relapsa est* recte reposuit — pilam deorsum relapsam ut manibus exciperet Scylla uehementer procurrit: quo motu uestis Scyllae soluta est'.

Sed ad uersum 73, unde haec de spondiacis uersibus disputatio orsa est, redeamus. is ita scribi solet *Coniugium carae uiolauerat Amphitrites.* tamen ualde displicet in loco quo Neptunus fidem Amphitritae uxori non seruasse narratur Amphitriten eidem

Neptuno caram nominari. accedit quod in bonis libris non illud ab omnibus receptum *carae* reperitur, sed potius *carte*, unde lenissima mutatione restituendum est:

coniugium castae uiolauerat Amphitrites.

78 *et cupidos quaestu passim popularet amantes.*

cf. Catulli 70, 3 *cupido-amanti.*

81 *heu quotiens mirata nouos expalluit artus.*

cf. Catulli 64, 100 *quam tum* (Faernus: *quanto* libri) *saepe magis fulgore expalluit auri.* emendatio Faerni loco Ciris bene stabilitur.

Versus qui hunc uersum proxime antecedunt difficultate quadam laborant, quam alii aliter remouere studuerunt, Hauptius uero Ladewigio et Ribbeckio adsentientibus ita ut uersum 80 ante 79 conlocaret. sed ut taceam transmutationis talis in hoc loco caussam nullam reperiri posse, in ipsa scriptura Hauptii non nulla offendunt. displicent uersus 80 et 79 uocula *et* inter se coniuncti, quando quidem uersu 79 non noui aliquid praecedentibus additur, sed eo uersus 80 accuratius explicatur; displicet uocabulum *repente* omni ui destitutum, si illud *uallata repentest* post uerba *horribiles circum uidit se sistere formas* legitur: praeterea satis inconcinne alter uersus uerbo (*Scylla*) *uallata est*, alter uerbo (*Scylla*) *circum sistere uidit* utitur. itaque ordine quem libri praebent uersuum seruato primum Italos recte deleuisse uoculam *est* in uersu 79, deinde illud *et (piscibus et canibusque)* in interiectionem *heu* esse mutandum arbitror: cuius interiectionis quasi caussae in sequenti parenthesi explanantur:

seu uero, ut perhibent, forma cum uinceret omnis
et cupidos quaestu passim popularet amantes,
piscibus heu canibusque malis uallata repente
horribiles circum uidit se sistere formas
(heu quotiens mirata nouos expalluit artus!
ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!), . . .

83 *ausa quod est mulier numen fraudare deorum*
et dictam Veneri uotorum auertere poenam.

cf. Catulli 64, 5 *Auratam optantes Colchis auertere pellem Ausi sunt uada salsa cita decurrere puppi.* (?)

90 *Mnemosyne, potius liceat notescere cirin,*
atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.

cf. Catulli 68, 47 *Sed dicam uobis* (musis), *uos porro dicite multis Milibus et facite*

haec charta loquatur anus . . . . . Notescatque magis mortuus atque magis. egregiae Hauptii emendationi *Mnemosyne* catullianum locum fauere manifestum est.

In uersu sequenti 92 *Quare quae cantus meditanti mittere caecos* extremum uocabulum corruptum non dum sanatum est: mihi quidem quae adhuc proposita sunt (*laetos doctos curtos*) non satis placent. fortasse non nomen aliquod adiectiuum ad uocem *cantus* relatum hoc loco obscuratum est, sed aduerbium quoddam. et enim hic est sententiarum contextus: 'o musae, quae saepius antea mihi carmina scripturo fauistis, praecipue nunc nostro proposito adspirate.' itaque nescio an poeta scripserit:

quare quae cantus meditanti mittere crebro
magna mihi cupido tribuistis praemia.

104 *quarum non ulli fama concedere digna*
stat Megara.

cf. Catulli 68, 131 *Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna Lux mea se nostrum contulit in gremium.*

108 *saepe lapis recrepat cyllenia murmura pulsus.*

recrepandi uocabulum praeter hunc locum nisi in Catulli carm. 63, 29 *caua cymbala recrepant* reperiri non uidetur.

114 *gortynius heros*

de Minoe, sicuti Catullus dixit 64, 75 *Attigit iniusti regis gortynia tecta.*

116 *sed neque tum ciues neque tum rex ipse ueretur.*

cf. Catulli 64, 68 *Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus Illa uicem curans.* inde patet quo iure Rossbachius apud Catullum ex bonorum librorum *Si* elicuerit *Sic.*

117 *infesto ad muros uolitantis agmine turmas.*

cf. Catulli 64, 9 *Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum.*

122 *at roseus medio surgebat uertice crinis . . .*
126 *ergo omnis caro residebat cura capillo.*

cf. Catulli 64, 309 *At roseo niueae residebant uertice uittae.* Lucianus Muellerus ad Cat. p. XXXI Ciris auctorem ex hoc uersu catulliano sumpsisse illud *At roseus* non recte negauit. qui cum insuper adnotaret Ciris poetam ad huius catulliani loci exemplar uersum 511 conformasse *Purpureas flauo retinentem uertice uittas,* neglexit Catulli

uersum 64, 63 *Non flauo retinens subtilem uertice mitram*, qui ipse quoque poetae Ciris in scribendo uersu 511 obuersatus est: praeterea quod poeta Ciris uersu 511 imitatus est Catulli uersum 64, 309, inde non sequitur ut idem uersus catullianus non alterius quoque uersus in aliqua re exemplar fuisse potuerit. ueluti, ut intra fines eorundem uersuum commoremur, uersus Catulli 64, 63 ab auctore Ciris et uersu 170 et uersu 511 expressus est.

130 *nec fuerat, ni Scylla nouo correpta furore,*
Scylla patris miseri patriaeque inuenta sepulcrum,
o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.

cf. Catulli 68, 88. 89 *Coeperat ad sese Troia ciere uiros, Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque.* et eiusdem 64, 86 de Ariadna Theseum conspicata *Hunc simul ac cupido conspexit lumine uirgo,* ubi praeterea adnotari potest in uersu proximo 85 apud Catullum *Minoa* legi, quod in Ciris uersu 132 extat: nam recte sic emendauit Lachmannus.

133 sqq. Sicuti hoc loco poeta, postquam Scyllam in Minoe oculos nimium pauisse narrauit, ad Cupidinis potentiam describendam paullum digreditur, ita simillime Catullus 64, 95 fecit, cum Ariadna quo modo Thesei amore incenderetur exposuisset.

137 *ille etiam diuos homines — sed dicere magnum est.*

Crediderim hoc uersu poetam memoriam seruasse quamuis tenuem catulliani uersus 68, 142 *atqui nec diuis homines conponier aequum est* (quem uersum magis perspicue Ciris auctor expressit in uersu 329 *neque est cum dis contendere nostrum*): tamen loco Catulli ualde corrupto certo de hac re iudicari nequit.

Ceterum in Ciris uersu omnes quod sciam editores recentiores post uocabulum *diuos (ille etiam diuos, homines — sed dicere magnum est)* orationem interpunxerunt: quo facto poetam sumunt dixisse ab Amore etiam leones tigresque, etiam diuos hominesque uinci. hac in enumeratione bene quidem intellegitur cur ferocia ferarum et deorum maiestas nominetur a poeta potentiam Amoris descripturo: sed cur homines quoque commemorantur quibus Cupidinem imperare per se manifestum est? 'Amor tantum ualet ut etiam homines superet': num tale quid hoc loco apte dici potest? accedit ut illud asyndeton *(Amor) etiam diuos, homines (. . . . docuit),* cum si sententiam tum si formam orationis respicimus, perinde ineptum sit. — His difficultatibus libera est explicatio quam bono iudicio usus unus e sodalibus nostris proposuit. qui deleta illa interpunctione locum hac ratione intellectum uoluit: *ille etiam diuos homines* amare docuit: h. e. 'ille etiam deos inpulit ut amoribus humanis se dederent — sed haec furta deorum enarrare longum est'.

Haec explicatio quodam modo defendi potest loco catulliano quem attuli, ubi

haec charta loquatur anus . . . . . Notescatque magis mortuus atque magis. egregiae Hauptii emendationi *Mnemosyne* catullianum locum fauere manifestum est.

In uersu sequenti 92 *Quare quae cantus meditanti mittere caecos* extremum uocabulum corruptum non dum sanatum est: mihi quidem quae adhuc proposita sunt (*laetos doctos curtos*) non satis placent. fortasse non nomen aliquod adiectiuum ad uocem *cantus* relatum hoc loco obscuratum est, sed aduerbium quoddam. et enim hic est sententiarum contextus: 'o musae, quae saepius antea mihi carmina scripturo fauistis, praecipue nunc nostro proposito adspirate.' itaque nescio an poeta scripserit:

quare quae cantus meditanti mittere crebro
magna mihi cupido tribuistis praemia.

104 *quarum non ulli fama concedere digna*
stat Megara.

cf. Catulli 68, 131 *Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna Lux mea se nostrum contulit in gremium.*

108 *saepe lapis recrepat cyllenia murmura pulsus.*

recrepandi uocabulum praeter hunc locum nisi in Catulli carm. 63, 29 *caua cymbala recrepant* reperiri non uidetur.

114 *gortynius heros*

de Minoe, sicuti Catullus dixit 64, 75 *Attigit iniusti regis gortynia tecta.*

116 *sed neque tum ciues neque tum rex ipse ueretur.*

cf. Catulli 64, 68 *Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus Illa uicem curans.* inde patet quo iure Rossbachius apud Catullum ex bonorum librorum *Si* elicuerit *Sic.*

117 *infesto ad muros uolitantis agmine turmas.*

cf. Catulli 64, 9 *Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum.*

122 *at roseus medio surgebat uertice crinis . . .*
126 *ergo omnis caro residebat cura capillo.*

cf. Catulli 64, 309 *At roseo niueae residebant uertice uittae.* Lucianus Muellerus ad Cat. p. XXXI Ciris auctorem ex hoc uersu catulliano sumpsisse illud *At roseus* non recte negauit. qui cum insuper adnotaret Ciris poetam ad huius catulliani loci exemplar uersum 511 conformasse *Purpureas flauo retinentem uertice uittas,* neglexit Catulli

uersum 64, 63 *Non flauo retinens subtilem uertice mitram*, qui ipse quoque poetae Ciris in scribendo uersu 511 obuersatus est: praeterea quod poeta Ciris uersu 511 imitatus est Catulli uersum 64, 309, inde non sequitur ut idem uersus catullianus non alterius quoque uersus in aliqua re exemplar fuisse potuerit. ueluti, ut intra fines eorundem uersuum commoremur, uersus Catulli 64, 63 ab auctore Ciris et uersu 170 et uersu 511 expressus est.

130 *nec fuerat, ni Scylla nouo correpta furore,*
Scylla patris miseri patriaeque inuenta sepulcrum,
o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.

cf. Catulli 68, 88. 89 *Coeperat ad sese Troia ciere uiros, Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque.* et eiusdem 64, 86 de Ariadna Theseum conspicata *Hunc simul ac cupido conspexit lumine uirgo,* ubi praeterea adnotari potest in uersu proximo 85 apud Catullum *Minoa* legi, quod in Ciris uersu 132 extat: nam recte sic emendauit Lachmannus.

· 133 sqq. Sicuti hoc loco poeta, postquam Scyllam in Minoe oculos nimium pauisse narrauit, ad Cupidinis potentiam describendam paullum digreditur, ita simillime Catullus 64, 95 fecit, cum Ariadna quo modo Thesei amore incenderetur exposuisset.

137 *ille etiam diuos homines — sed dicere magnum est.*

Crediderim hoc uersu poetam memoriam seruasse quamuis tenuem catulliani uersus 68, 142 *atqui nec diuis homines conponier aequum est* (quem uersum magis perspicue Ciris auctor expressit in uersu 329 *neque est cum dis contendere nostrum*): tamen loco Catulli ualde corrupto certo de hac re iudicari nequit.

Ceterum in Ciris uersu omnes quod sciam editores recentiores post uocabulum *diuos (ille etiam diuos, homines — sed dicere magnum est)* orationem interpunxerunt: quo facto poetam sumunt dixisse ab Amore etiam leones tigresque, etiam diuos hominesque uinci. hac in enumeratione bene quidem intellegitur cur ferocia ferarum et deorum maiestas nominetur a poeta potentiam Amoris descripturo: sed cur homines quoque commemorantur quibus Cupidinem imperare per se manifestum est? ‘Amor tantum ualet ut etiam homines superet’: num tale quid hoc loco apte dici potest? accedit ut illud asyndeton *(Amor) etiam diuos, homines (. . . . docuit)*, cum si sententiam tum si formam orationis respicimus, perinde ineptum sit. — His difficultatibus libera est explicatio quam bono iudicio usus unus e sodalibus nostris proposuit. qui deleta illa interpunctione locum hac ratione intellectum uoluit: *ille etiam diuos homines* amare docuit: h. e. ‘ille etiam deos inpulit ut amoribus humanis se dederent — sed haec furta deorum enarrare longum est’.

Haec explicatio quodam modo defendi potest loco catulliano quem attuli, ubi

poeta antea quam non aequum esse deis homines conparari dicit plurima furta Iouis omniuoli commemorat. cf. etiam Ciris 273 *quod per te diuum crebros testamur amores.*

E narratione sceleris a Scylla in Iunonem commissi obscurissima illa duos locos in transitu breuiter tractare liceat.

140 *Iunonis magnae (cuius periuria diuae*
olim se meminere diu periura puellae
non nulli liceat) uiolauerat inscia sedem.

Sic in libris bonis scribitur hic locus, quo difficilior in hoc carmine non legitur, a nullo dum editore bene emendatus et enarratus. equidem hanc fere sententiam in parenthesi illa latere dubitanter conicio: 'poetae musarum interpretes de periurio quo Scylla Iunonem uiolauit sic, ut nunc significabo, narrant, eo consilio ut puellas a peierando deterreant': quae nescio an poeta ita fere exprimere uoluerit:

Iunonis magnae (cuius periuria diuae
sic musae meminere ut periurare puellae
nunc nulli libeat) uiolauerat inscia sedem.

cf. Verg. ecl. 7, 19 *alternos musae meminisse uolebant* et Catulli 64, 143 *Iam iam nulla uiro iuranti femina credat.* — Scylla igitur, ut narrari solebat (140), cum Iunonis templum incertum qua ratione uiolasset (141. 154), iure iurando quodam (139. 140. 155. 156) — quod tamen periurium fuit — a culpa commissa se liberare frustra conata est. Quibus dictis ita poeta pergit:

156 *set* (*et* libri, *at* Ribbeckius) *si quis nocuisse tibi periuria credat,*
causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.

Peierauit igitur Scylla. sed si quis huius periurii causa arbitraretur Scyllam ita punitam esse ut a Cupidine Iunone instigante Minois amore sibi et patri et patriae pernicioso inflammaretur, is erraret: potius Iuno quod Scyllae pulcritudini inuidebat atque metuebat ne Iuppiter eius amore exardesceret per Amorem puellam perdidit.

Haec fere uerbis *timuit fratri te ostendere Iuno* poetam dicere certum est. nam quae Ribbeckius coniecit *Causa piast: timuit fratri se ostendere, Iuno* ego probare non possum cum sententia ualde mira tum orationis forma quam maxime offensus. et enim cum uerba *tecum . . tu . . haberes* (153) *infelix! . . . . piasses* (155), *tibi* (156) sine ulla dubitatione ad Scyllam referenda sint, illud quoque *te* (157) omni fide dignum esse uidetur. deinde cum in protasi *si quis . . . . credat* Scyllam poeta adloquatur — num probabile est in enuntiato quo apodosis breuissima *causa pia est* explicatur non Scyllam sed Iunonem a poeta uocatiue nominatam esse, Scyllam

autem in tertia persona? praeterea poeta Iunonem bene apteque dicentem facit se nolle ostendere Scyllam formosam fratri, h. e. fratri suo ipsius Ioui: sed poeta male dixisset Scyllam noluisse se ostendere fratri, h. e. non suo sed Iunonis.

Sed tamen unus scrupulus restat. si Iuno, quae poetae est sententia, sollicitudine amoris furiosa stimulata Scyllam perdidit, quo modo Scylla dici potest caussa pia perisse? at facile huic incommodo medemur ita emendantes: *Causa alia est: timuit fratri te ostendere Iuno.*

163 *quae simul ac uenis hausit sitientibus ignem*
et ualidum penitus concepit in ossa furorem.

cf. Catulli 64, 92 *Non prius ex illo flagrantia declinauit Lumina quam cuncto concepit pectore flammam Funditus atque imis exarsit tota medullis.* cf. etiam 64, 12 *Quae simul ac* (sed cf. etiam Aen. 4, 90; 12, 222). uersus 164 extremus ad uergilianum uersum Aen. 4, 101 *ardet amans Dido traxitque per ossa furorem* conformatus est. — Ceterum dubito num poeta scripserit *ualidum — furorem.* mihi quidem aptiora uidentur esse haec: *et rabidum penitus concepit in ossa furorem.* cf. Catulli 63, 38 *Abit in quiete molli rabidus furor animi.*

167 *non storace idaeo fragrantis tincta capillos,*
cognita non teneris pedibus sicyonia seruans,
non niueo retinens bacata monilia collo.

cf. Catulli 64, 63—65 *Non flauo retinens subtilem uertice mitram, Non contecta leui nudatum pectus amictu, Non tereti strophio lactentis uincta papillas:* cf. quae dixi in ind. schol. dorpat. a. 1864 p. 13.

177 *nulla colum nouit, carum non respicit aurum,*
non arguta sonant tenui psalteria chorda,
non libyco molles plauduntur pectine telae,
nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.

cf. Catulli 64, 39—42 *Rura colit nemo, mollescunt colla iuuencis, Non humilis curuis purgatur uinea rastris, Non falx attenuat frondatorum arboris umbram, Non glaebam prono conuellit uomere taurus.* translatio uersuum, quam Ribbeckius proposuit et Ladewigius probauit (uersum 177 inseruerunt post u. 179) speciosior quam uerior est. commendatur quidem aliqua tenus coniunctione quam efficit artiore *telarum* et *coli.* nam qua ratione Ribbeckius etiam *auri* et *ruboris* copulatione sententiam suam confirmatam censeat non perspicio. etiam anaphorae *Non — Non — Nulla — Nullus* diffido. nam cum illud *nulla* hoc loco pro aduerbio negandi a poeta in hac quoque re Catulli imitatore usurpatum sit rarissimo loquendi usu [15]), contra *nullus,* quod

15) cf. Catulli 8, 14 *At tu dolebis cum rogaberis nulla* et Hauptii obs. crit. p. 6.

[illegible] nominis adiectiui adhibeatur, illa anaphora hoc loco poetae [illegible] quaerenda fuisse uidetur. Sed etiam grauiora ordini ribbeckiano [illegible] postea quam Scyllam noctu castra Minois ignibus illustrata ex arce prospexisse in praecedentibus narrauit — num re uera censeamus poetam nullo transitu facto ita narrare perrexisse: *non arguta sonant tenui psalteria chorda*? cuius nam psalteria non sonant? contra si ordine uersuum qui in libris est seruato praecedentia illa uersu *nulla colum nouit* excipiuntur, oratio eodem subiecto uti pergit quo in praecedentibus usa erat: et ipsum illud *nulla* (cuius quasi caussa iam manifesta est) commode transitum parat. denique Catulli quoque quem attuli locus ordinem uersuum tralaticium defendit. namque Catullus cum antea omnes Thessalos ad regiam Pelei sedem gratulabundos concurrisse narrasset, tantum afuit ut uersu *Non humilis curuis purgatur uinea rastris* uel simili pergeret, ut eodem fere subiecto quod in proximis usurpauerat reseruato orationem bene ita continuaret *Rura colit nemo.*

195 *gaudete o celeres subnixae nubibus altis,*
quae mare, quae uiridis siluas lucosque sonantes
incolitis, gaudete uagae blandaeque uolucres,
uosque adeo humanos mutatae corporis artus,
uos o crudeli fatorum lege puellae
dauliades gaudete.

cf. Catulli 64, 22 *O nimis optato saeclorum tempore nati Heroes, saluete, deum genus, o bona matrum Progenies, saluete iterum . . . . . . Vos ego saepe meo uos carmine conpellabo, Teque adeo eximie taedis felicibus aucte* [16]). in his, ut apertiora transeam, inter se clare respondent catullianum illud

o nimis optato saeclorum tempore nati
heroes saluete

et in Ciri haec

uos o crudeli fatorum lege puellae
dauliades gaudete.

etiam formam *daulias* Ciris scriptor apud Catullum inuenit: 65, 14 *Qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias absumpti fata gemens Ityli.*

202 *uos, o pulcherrima quondam*
corpora, caeruleas praeuertite in aethera nubes,
qua nouus ad superum sedes haliaeetus et qua
candida concessos adscendat ciris honores,

sensus planissimus est: ‘o Procne et Philomela, gaudete quod Nisus et Scylla cogna-

16) u. Hauptii quaest. catull. p. 45, L. Muelleri praef. Catulli p. XXIX.

tionis iure uobiscum coniuncti et eandem quam uos olim sortiti nunc nacti sublimes feruntur. celerrimo igitur uolatu nubibus infra relictis uenite in aethera qua ad deorum sedes Nisus et Scylla in auium formas mutati alis tolluntur'. at quid hoc loco modus coniunctiuus *adscendat* sibi uult? uoculam *qua* coniunctiuus non sequitur, nisi ratio orationis uniuersa eum postulat. tali autem excusatione uti non licet in hoc loco. quando quidem enim puellarum 'dauliadum' in Nisi et Scyllae transformatione nullae omnino partes fuerunt, illud a uocula *qua* incipiens enuntiatum cum enuntiato principali per caussae uel effectus nexum quendam artiorem coniunctum esse non potest. iam cum, ut usum poetarum a Ciris auctore saepissime expressorum et usum huius ipsius examinemus, illud loci aduerbium *qua* apud Catullum semper (cf. 11, 7. fragm. 1, 2. — 64, 42. 67, 13 —) et apud Vergilium paene semper modus indicatiuus excipiat (si nihil praeterii, Vergilius inter quinquaginta fere exempla illius aduerbii loci non amplius quater uoculae *qua* coniunctiuum adiunxit: sed in his quattuor exemplis coniunctiuus orationis contextu necessario postulatur), neque aliter Ciris poeta, ubi praeterea illo uocabulo utitur, indicatiuum illi adnexuerit (cf. u. 216. 413. 499. 540 — 538 —), arbitramur poetam olim scripsisse:

et qua
candida concessos adscendit ciris honores

206 *iamque adeo dulci deuinctus lumina somno . . . .*
209 *cum furtim tacito descendens Scylla cubili.*

cf. Catulli 64, 122 . . . *aut ut eam deuinctam lumina somno* et 6, 7 *nequiquam tacitum cubile clamat.*

213 *egreditur ferroque manus armata bidenti*
euolat:

offendor quam maxime illa ieiuna repetitione *egreditur et euolat* ne tali quidem poeta digna. tolerari posset: 'egreditur et armata quidem egreditur' uel simile quid. sed uariatio illa *egreditur* et *euolat* frigidissima est. equidem *ex* praepositionem ab initio uersus 214 *euolat* in initium proximi errore irrepsisse et poetam sic potius scripsisse putauerim:

progreditur ferroque manus armata bidenti
euolat.

iam omnia bene se habent. Scylla clam Carme nutrice lecto relicto immota in loco constitit auscultatura si quae conatui suo periculosa per regiam mouerentur: tum (212) cum omnia silentia tutaque esse opinaretur inprimisque Carmen nutricem dormire, *suspensa leuans digitis uestigia primis* intra cubiculum pedetemptim progressa est, deindeque forfice simul ablata e conclaui euolauit. sed cardinum stridore nutrix experrecta est.

218 *suspicit ad [illegible] nictantia sidera mundi.*

cf. Catulli 64, 206 *concussitque micantia sidera mundi. nictantia*, quod metri causa poeta Ciris loco catulliani *micantis* posuit, et ad sonum et ad significationem huic simillimum est.

219 *non accepta piis promittens munera diuis.*

cf. Catulli 64, 103 *non ingrata tamen frustra munuscula diuis Promittens*, quibus Ariadna pro Theseo sollicita describitur.

224 *et simul 'o nobis sacrum caput' inquit 'alumna,*
non tibi nequiquam uiridis per uiscera pallor
aegrotas tenui suffudit sanguine uenas,
nec leuis hoc faceret (neque enim pote) cura subegit.

uersum 227 graui mendo laborare perinde manifestum est atque ea quae adhuc proposita sunt ad locum emendandum probari non posse. primum autem mihi quidem certum uidetur principalem huius uersus sententiam contineri uerbis *cura subegit*, deinde parenthesi illa *neque enim pote* ualde probabile duco a nutrice aliquid negari quod fortasse quispiam pro caussa tantae Scyllae commutationis habere uelit: denique similem negationem continere uidentur uerba *nec — faceret.*

Quibus consideratis necessitate quadam eo ducimur ut credamus mendum latere in uocabulo *leuis* etiam per se ideo suspecto quia cum uoce *cura* longissime ab illo disiuncta uix bene coniungi potest. — Haec si uere conclusa sunt, necessario sumendum est illo *leuis* nomen aliquod *curae* oppositum temporum iniuria obscuratum esse. quod quale fuerit proxima docent. Carme dixerat: 'non nequiquam (h. e. non sine caussa, non casu fortuitoque) tantum palles et aegrotantis speciem praebes'. iam cum poeta perrexerit *nec . . . hoc faceret*, haec, nisi omnia me fallunt, olim sententiarum consecutio fuit: 'sed quid dico te aegrotare? quando quidem morbus nullus qualiscumque est tantam tuam mutationem efficere potest: alia potius palloris caussa est. non morbus enim corporis sed animi cura quaedam te oppressit'. Hanc sententiam lenissima mutatione adhibita uersui sic reddere possumus:

Nec febris hoc faceret (neque enim pote): cura subegit.

Quae de imitatione in Ciri catulliana atque de huius carminis emendatione obseruasse nobis uidebamur omnia hoc uno libello edere constitueramus: sed cum SOLLEMNIA NOSTRAE LITTERARVM VNIVERSITATIS, quibus indicendis haec publicabuntur, propius instent quam ut ea quae dicenda restant commode ante illum diem festum typis descripta esse possint, iam nunc carminis dimidia fere parte pertractata finem facere et reliqua illa in proximum annum reseruare liceat. Valete.